116

sua. Vel ecclesia. vel anima quaelibet de deserto as-
cendit. quia in corde suo peregrinationis posita ad
celestia gaudia mente et cogitationibus tendit.
Unde paulus dicebat. Nostra conuersatio in celis est.
Deliciis affluit. quia sacrae scripturae meditationibus
intendens celesti pabulo mentem assidue pascit.
Super dilectum innititur. quia in solo christi auxilio confidens
eo largiente ab exilio ad patriam transfertur. Ipsa quippe
ueritas omnibus fidelibus ait. Sine me nichil potest-
is facere. Unde non accepit ut ab infimis ad supe-
riora a deserto ad regnum ascendere posset. mani-
festat dilectus eum subdens. Sub arbore malo susci-
taui te. Quid per arborem malum nisi sancta crux designa-
tur. Quae male illud sustinuit de quo eadem spon-
sa in superioribus dicit. Sicut malum inter ligna silua-
rum. sic dilectus meus inter filios. Sed sponsam
suam christus sub arbore malo suscitauit. quia in cru-
ce positus subditam sibi ecclesiam ad uitam uocauit. ut
a somno mortis exsurgeret. et cum illo se crucifi-
gens ad nouam resurrectionem properaret. Unde et
apostolus ciuitate mortuis dicit. Surge qui dormis
et exurge a mortuis. et illuminabit te christus.
Et quibusdam quia resurrexerant. alibi ait. Si
consurrexistis cum christo. quae sursum sunt quaerite. Sed
quia infideles synagoge christum crucifixerunt. ideo se-
bi est mater tua. ibi uiolata est genitrix tua.
Sub arbore malo mater ecclesiae corrupta esse dicitur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_247_f116r – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5253)